DE IMAGINE S. MARIAE IN PORTICV BREVIS HISTORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INTER alias, quæ Romæ publicè coluntur, Beatiſſimæ Virginis Imagines, illa præcipuo ſemper in honore fuit, quæ Sanctæ MARIÆ in Porticu nuncupatur. Hæc in palmari gemma ſapphiro perſimili, aureis lineis expreſſa, alijſque non vulgaris pretij lapillis exornata; quemadmodum ex conſtanti traditione, vetuſtiſque monumentis habetur, mirabiliter apparuit in Ædibus Sanctæ Gallæ Patritię Romanæ, propè Marcelli Theatrum, intra Porticum Octauiæ, vnde etiam cognomen accepit. Contigit hoc decimo ſexto Calendas Auguſti, Ioanne Primo Summo Pontifice, dùm eadem Galla duodecim pauperibus ex quotidiana conſuetudine, in honorem Dei ac Beatæ Virginis Mariæ epulum præberet. Domum verò, in qua apparuerat, à Galla eidem Virgini oblatam, prædi-

ctus

ctus Pontifex in Eccleſiam conſecrauit, atque in ea Venerandam Imaginem, quam ipſe per Angelorum miniſterium acceperat, repoſuit. Hanc vetuſtate penè collapſam Beatus Gregorius Septimus reſtituit, iterumque dedicauit. Cœleſtinus autem Tertius Hoſpitalem Domum à ſe extructam, copioſiſque redditibus auctam, eidem adiunxit.

Mirabilem porrò in præſenti aduerſus publicas calamitates, & pręcipuè peſtis ac belli, ope ferenda, ſacram hanc Imaginem Maiores noſtri ſemper experti ſunt. Neque enim ſolùm ea die, qua apparuit, ſed alijs quoque deincèps temporibus publicè geſtatam, peſtiferum morbum ab Vrbe depuliſſe, traditum eſt. Leone verò Decimo, ac Paulo Tertio ſedentibus, ad pacem inter Chriſtianos Principes conciliandam, atque ad Barbarorum furores reprimendos, ſolennibus ſupplicationibus indictis, in quibus ipſimet Pontifices interfuere, cùm circumducta fuiſſet; non multò pòſt Turcarum Tyranno extincto, pax inter Noſtros inſperatò compoſita eſt. Nouiſſimè Vrbanus Octauus, ad contagionem, quæ per Italiam latè ſerpebat, procùl arcendam, Eccleſiam Sanctæ Marię in Porticu publicis precibus deſtinauit: Atque illud factum eſt, vt inter innumeras confinium populorum ſtrages Roma eo tempore immunis euaderet.

Pręcedentium rerum fama permotus Populus Romanus, Alexandro Septimo Pontifice Maximo, vt ab eadem contagione, quæ Vrbem inuaſerat, liberaretur,

publi-

publico ſe ſe voto obſtrinxit, ampliorem Sacræ Imagini Sedem conſtruendi, ipſamque honeſtiori in loco collocandi. Interim verò morbus ita decreſcere cępit, vt paucos poſt dies non ſolùm Romę, ſed in cœteris quoque Eccleſiaſticę ditionis locis extinctus fuerit. Quãobrem Pontifex idem frequentiſſima totius Cleri ac Populi ad gratias agendas ſupplicatione inſtituta, cum Sacro Cardinalium Collegio Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Porticu pedes adiuit. Mox autem, nouo Templo in propinqua Regionis Campitelli area, ad maiorem Populi commoditatem, & ipſius Beatæ Virginis cultum auguſtiori opere deſignato, ad illius fundamenta primum ipſe lapidem demiſit, tertio Calendas Octobris Anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi ſecundi: atque illùc Sacram Imaginem, & Diaconiæ Titulum transferri mandauit. Ipſius verò Sacræ Imaginis apparitio decimo ſexto Calendas Auguſti, & per ſeptem conſequentes dies anniuerſario cultu, cum magna Populi Romani frequentia celebratur.

De

QVę ſub S. Ioanne Primo geſta eſſe referuntur, probantur primò, traditione immemorabili. Secundò, duobus verſibus muſiuo opere expreſſis tempore S. Gregorij Septimi in Ciborio pervetuſto Eccleſię S. Marię in Porticu. Tertio, duobus antiquiſſimis Manuſcriptis, quorum alterum apud Clericos Regulares Congregationis Matris Dei; alterum in Bibliotheca S. Auguſtini aſſeruatur. Quartò, ex M. S. Bibliothecę Vaticanæ ſub Martino Quinto. Quintò, ex picturis Eccleſię S. Mariæ in Porticu, quibus hæc hiſtoria exprimitur.

Reliqua, quę ſub alijs Pontificibus à B. Gregorio Septimo vſque ad noſtram ætatem eueniſſe ſcribũtur; certiſſimis, & euidentiſsimis teſtimonijs comprobantur, prout in Hiſtoria impreſſa Romę ſuperiori anno, videri poteſt.